

Christoph Sturtz

**Oratio || De || Vitae Decore || Per Prvdentiam || Et Patientiam Compa||rando et  
conservando || in qua || Serenissimi ac potentissimi principis ac Domini, Dn.  
Sigismundi III. Regis Poloniae ac Sve||tiae etc. ac ordinum regni Poloniae  
Magnique Du||catus Lithuaniae prudens consilium de ordinan||da Rep. Livoniae,  
et magna solertia Dn.|| Commissariorum commendatur || Habita à || Nobili ... viro  
|| Christophoro Stvrcio I.V.D.|| et Historiarum Professore. Die XXIII.|| mensis  
Octobris Anno 99.||**

Rostock: Reusner, Christoph aus Neustadt, 1600

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1679454749>

Druck    Freier  Zugang





K.K.-2 (166.)





16

Oratio  
DE  
VITÆ DECORE  
PER PRUDENTIAM  
ET PATIENTIAM COMPRA-  
rando & conservando.

*in qua*

Serenissimi ac potentissimi principis ac Domini,  
Dn. SIGISMUNDI III. Regis Poloniæ ac Sve-  
tiæ &c. ac ordinum regni Poloniæ Magniç; Du-  
catus Lithvaniæ prudens consilium de ordinan-  
da Rep. Livoniæ, & magna solerria Dn.  
Commissariorum commendatur

*Habita à*

Nobili & clarissimo viro

CHRISTOPHORO STVRCIO I. V. D.

& Historiarum Professore. Die XXIII.

mensis Octobris Anno 99.

• 69 •

ROSTOCHII

Eximbebat Christophorus Reusnerus Anno 1600.

Livoniae  
B. 44. C.



GENERO SO AC NOBILI,  
ingenio ac virtute præstanti  
**DN. PETRO OSTRO-**  
**VIO, IN OSTEROW, PA-**  
trono honorando,

CHRISTOPHORVS STVRCIVS  
S. D.

 VE Rige tecum mihi intercessit familiaritas, adeo suavis & grata mihi fuit, ut & crebro eam animo revoluerim meo; expressam re-  
luct vividae virtutis imaginem; & voce publicâ ejam inter ceteros  
Dominos Commissarios cui mentionem fecerim. Nam verò, ut mea in te ob-  
servantia manifestius appareat, orationem hanc, nec indignam forte lecta,  
nec inutilem ei, qui vita humana rationes diligenter perseruatus fuerit, sub  
tui nominis præclari auspicio publicare volui.

Quam multa homini temere & prater opinionem accident, docet qui-  
dem experientia. Sed prudenti viro, qui omnia humana secum meditata  
habet, nihil videtur temere vel inopinato accidere posse, quare & si quid adver-  
si contingat, aquo id fert animo, nam sua vita modum rationis præsidio subdu-  
ctum, non incerto fortuna motui expositum habet.

Eius rei meditanda occasio mihi data est, cum in Livonia praesens mea  
negotia curarem. & quidem ista temporis ratio duo mibi attulit bona, ut &  
que pulcherrima sunt, vita munera interius perfficerem, & fidei tue cando-  
reim, conciliante inter nos amicitiam Generoso & optimo viro DAVIDE  
HILCHEN S. R. Mtis. Secretario, agnoscerem. Quare cum me vir-  
tutis tuae admiratione obligatum habeas, grati animi indicium saltē, quale  
quale nunc possum, præbere volui. Benigno igitur vultu munus hoc charta-  
ceum accipe, & tui amantissimum certâ, ut cepisti, fide redama. Data Ro-  
stockio Calend. Ianuarij, inchoato anno jubilao 1600. à partu virginico.



# Oratio

## DE DECORE VITAE PER PRUDENTIAM ET Patientiam comparando & conservando.

**D**ossem quidem de longa & diffi-  
cili mea peregrinatione illud  
Homeri usurpare ;  
εἴη μέν πολέωρ καίσιλος βαλώπε νόοντε  
Αὐδούρης οὐδέωρ, πολλώ ἐπελάλυθα γοῖησ.  
Sed nihil mihi arrogo ; nec id ,  
quòd è longa peregrinatione quædam didicerim ,  
arroganter à me dictum existimari velim . Quic-  
quid tamen est in me ingenij vel eruditio nis ;  
quam penè nullam in me agnolco ; cùm vestris  
studijs , Ornatis simi juvenes , me consecrarim ,  
lubenter vobiscum communicabo . nam cùm , pro  
veritate proverbij , bonum sit communicativum  
sui : boni viri nihil habent prius aut antiquius ,  
quàm ut publicæ utilitati & saluti , quâ possint ra-  
tione , consulant rectissimè . Duo autem in pere-  
grina-

grinatione meā vidi maximè homini , præsertim  
in Repub. & in media hominū luce viventi ne-  
cessaria, prudentiam scilicet & patientiam . quæ  
item si universæ vitæ munera dixerim esse neces-  
saria, haud me puto aberrare. Nam

— — — ac ripotior prudentia dextrâ est ;  
& levius sit malum , quod mutari non potest,  
patientiâ.

Quemadmodum verò corpus oculis priva-  
tum hallucinari, labi, sæpè offendere, & duriter  
impingere necesse est : sic plane haud rectè ager,  
consulet aut dicet homo ille , cuius animum pru-  
dentia, interior animi vis, non præparit, illumina-  
rit & direxerit ; Non ergo inscitè dixisse videtur,  
qui prudentiam oculum animæ appellavit. quin-  
iñ Apollophanes philosophus non vulgaris non  
dubitavit adfirmare , hanc unam virtutem esse &  
principium aliarum, cui reliquæ omnes famulen-  
tur. Et Solon ajebat, prudentiam tantùm cœte-  
ris virtutibus antestare, quantum visus reliquos  
sensus excellit, apud Stobæ. serm. 25. Sed quid  
proderit prudentia? quid agendi solertia efficiet?  
si, quæ fato, quæ alienis vitijs sæpenumerò inter-  
currunt, difficultates, molestias, pericula, labores,  
& quæ mille alia sunt tristia , nesciat quis æquo  
perferre animo. nec enim in rebus humanis quic-  
quam

*Prudentia*

*Patientia*

quam est stabile; sed quod verterit & volverit vitam nostram Deus, eo contentos nos esse, &, quicquid accidit, boni consulere oportet. Siquidem in adversis succensere velle Deo, turpe pariter & periculosum est At quin sapientis est, in malis quoque, ut decet, sapere. Itaque consequens est, duas hasce virtutes PRUDENTIAM & PATIENTIAM adeò magnam inter se habere cognitionem, ut, si destituatur alterius præsidio, altera in omni vitâ, etjam regali, manca & inutilis esse videatur. Prudens profectò non est, qui patiens esse nequit; & ille opinione suâ plane fallitur, qui omnia sibi suavia, jucunda & ad nutum fluentia in hac ærumnosa vita imaginatur. Quare cum eventus rerum nostræ voluntati se haudquaquam accommodant, nos certè voluntatem eventibus accommodare oportet. Patiens rursus non est, qui non prospicit vices alternas rerum, ut tristia suo tempore declinet, & prospero tandem successu fruatur. Sic enim homines à Deo creati sunt, ut & malorum & bonorum fiant participes; nec invenitur ullus homo, qui hujus vicissitudinis plane sit expers. ergo nemo desperet meliora lapsis, De his rebus dum paucis apud vos dissero, benignas ut mihi aures præbeat, etjam atque etjam rogo.

A 3

Pru-

Pamp. apud Servent. Amz. 168. V. 50 V.

Gothen Georg gen Antiken eruditus,

Eros & voluptate temeraria fuit, non miti immortalitas.

Parta est, si in illa sic contento esset interclusa.



Lxx. 17.  
Lectio 14

Prudentiam; vita humanæ ducem atque magistrum; dico esse accuratam & perpensam agendi rationem, ne quid temerè, aut inconsulto commissum & actum intelligatur. & sane, qui eam sequitur, nunquam interitu maliitiae adficietur. hæc gubernatrix est hominum, & omnis inter ipsos constitutionis princeps: civitates quinetiam & familias privatamque singulorum vitam ad exemplar divinum referens, quæ potest optimæ similitudine depingit; hoc delet, illud inscribit, utrobius assimilationis modo studens. Providos ergo cautela tutatur, negligentes extinguit incuria. Qui igitur intelligit prudentiæ rationes; novit, quinam sint astuti, & ceu probus numerarius, quod bonum est retinebit, ab omni autem malâ specie abstinebit. Agnoscimus vero prudentiam & cognitione rerum comprandam, & usu exercendam esse. Multa quippe illum, cui fortunam bonam prudentia donare debet, legisse, vidisse, audivisse & cognovisse necesse est; qui non solum, quæ ante pedes sunt, recte considerare; sed & quæ longè post futura sunt, prospicere volet, ut dum omnia secum ratione considerat, malum removeat, bonum autem capiat. Prudentia enim est animæ pars, seu instrumentum, teste Platone, quod res transeunttes

res apprehendit, conservat, sistit, & circulum facit, id, quod præterit, reflectens; ut cum præsenti jungatur.

Nihil quidem est subtilius acumine mentis, si intendatur; nihil cogitatione, quæ præterita memorie beneficio conspicit, celerius. Sed quid cogitabit? quid meditabitur? quid ratiocinabitur is secum, qui rudis & ignarus rerum est? qui nihil aliud novit, aut didicit, quam quod ventri & gulae suave sit, quodve oculis maximè oblectamento sit. Prudentis sanè cor sensu viget, sed affectio- ni corporis etjam animi intelligentiam consentire oportet, ne sicut Solē nubes obumbrant: rationem affectus. Quare, me etjam tacente, res ipsa suggerit vobis, omnino oportere eum multa dicisse, cognovisse & in multis exercitatum esse, qui prudens vir & rerum agens perhiberi vult. nam ex scientia virtus: ex virtute summum bonum nascitur. Necenim providentia ullum hominibus comparatum est emolumentum aut acquisitu præstantius, aut fructu felicius; siquidem disponendis & componendis rebus, & rationem subducendo commodè, unusquisque est Imperator, princeps, dux populi, rursum consiliarius: qui præstat ratione, omnia habet. Nec verò sufficit, linguæ formandæ artes saltem percepisse, sed animi

animi in primis recte informandi rationem sub-  
ductam tenere necesse est, ut, quid cui libet loco  
ac tempori conveniat, quidve personis singulis  
aptum sit, quibuscum nempè agendum & tra-  
ctandum est, quævè natura & qualitas rei cuiusq;  
sit, sciat. Nam prudentiæ opus fortuna est, &  
versatur circa activum & varijs affectionibus agi-  
tatum vitæ genus: & consilia sunt earum rerum,  
quæ alijs aliter se habent, non firmarum aut im-  
mutabilium. Itaque cùm prudentiam in rebus  
errorum ac turbulentiæ plenis immersam sæpè  
cum fortuitis misceri necesse est, & consultatio-  
ne in rebus dubijs uti; magnam homini rerum  
cognitionem inesse oportet. Nam si videris ve-  
rè velis bonus agricola, qui non sis bonus; aut e-  
ques: aut medicus: aut tibicen, aut aliud quip-  
piam, aut de ejusmodi rebus consultare sententi-  
amque dicere; cogita, quot sint machinanda ti-  
bi, quo videaris talis: quod si tuo persuasu & te  
multi laudent, quo auctoritatem adipiscaris, & in  
eorum singulis bona jecesis fundamenta, tum  
verò in præsentia deceperis, tum paulò post, ubi  
de te factum fuerit periculum, qualis sis, arguaris;  
tum ostentator præterea appareas, haud equidem  
eam rem tibi laudi esse cognosces. Tantam au-  
tem rerum omnium noticiam prudentia requi-  
rit, ut

rit, ut nisi omnes artes omnesq; virtutes velut in  
unum conspirarint, haud quis prudens rectè dici  
possit. Peritia ergo efficit, ut vita nostra per ar-  
tem incedat. Nam qui linguas non callet, sed  
apud peregrinos præsertim interprete uti volet,  
fieri non potest, quin sæpè aberret, & voto desti-  
tuatur suo ; præsertim si rerum momenta suo or-  
dine & modo distincta ignoraverit. Quid dicam  
de virtutibus : certè si suo choro in animo ejus  
sedes fixas non habuerint, & præsertim justicia  
lumen vimque suam ubique non prætulerit; pru-  
dentia, quantumvis solers, magna & singularis fu-  
erit, mera astutia, non prudentia appellari mere-  
bitur, quæ utilitatem non honestatem : lucrum  
non honorem virtutis aut salutem proximi sibi  
propositam habet. Quapropter diu multaque  
discenda sunt ei, qui prudentis viri nomen & lau-  
dem consequi volet. Talem, scribit Seneca  
Epist. 48. animum nostrum esse volo, ut multæ in  
illo artes, multa præcepta sint, multarum ætatum  
exempla. sed in unum conspirata. Quomodo,  
inquis, hoc effici poterit, assiduâ intentione ; si  
nihil egerimus, nisi ratione suadente, hanc si au-  
dire volueris, dicet tibi: relinqu ista, jamdudum  
ad quæ discurritur. relinqu dvitias, aut pericu-  
lum possidentium auctonis. relinqu corporis

B

atque

atque animi voluptates, molliunt ac enervant: re-  
linque ambitum, tumida res est, vana, ventosa,  
nullum habet terminum, ne quem ante se vide-  
rit, quam ne se post alium, laborat invidiā, & qui-  
dem duplici, hæc ille Certè qui sic animum indu-  
cit suum, ut veræ sapientiæ præcepta sequatur, il-  
lum tranquillo demum animo & prudenti consi-  
lio præditum esse agnoscimus.

Omnem porrò prudentiæ laudem, sine qua  
nemo locum suum tenere potest, in agendo col-  
locamus; quando se mens hominis prodit, quibus  
quantisve præsidijs virtutum sit instructa & velut  
præparata ad quævis sustinenda, & quid quan-  
tumve præstare possit, si agendi materia proposi-  
ta fuerit.

Duplicem autem moderandæ prudenter acti-  
onis rationem ponimus; alteram, ut divinæ po-  
tentia & majestatis vim agnoscamus, & eâ veluti  
instructi rem alacriter agendum suscipiamus &  
feliciter perficiamus; alteram, ut tempori servire  
sciamus: nam aliæ mox auræ rebus humanis in-  
gruunt, ut, quoties res fert, nova consilia sumere,  
& fortunam sibi ipsi facere necesse sit: Sic tamen,  
ut intra metas justiciæ & temperantiæ consisten-  
tes nihil committamus, quod à virtutis laude sit  
alienum. Id vero in primis nobis persuasum ha-  
beat

beamus, nihil temerè aut casu fortuito in rebus  
humanis fieri, sed divinâ gubernante prôviden-  
tiâ omnia. Nunquam D E V S deest, & tamen ab  
iniquorum cogitationibus longè est, nec tamen  
<sup>Reg. iibij. 3. sec.</sup>  
<sup>B. lib. 1. p. 1. Ambros.</sup> ibi deest, ubi longè est: quoniam ibi non est per  
gratiam, sed per vindictam. Qui igitur sum-  
mum quod est prudentiæ bonum consequi volet,  
ut omnia nempe sibi feliciter eveniant, mentem  
consiliaque ad supremum rerum arbitrum diri-  
gat, eumque puro pectore colati, consentaneum  
est. Non in loco D E V S videtur, sed mundo cor-  
de: nec corporalibus oculis D E V S quæritur, nec  
circumscribitur visu, nec tactu tenetur, nec au-  
ditur affatu, nec sentitur incessu, & cùm absens  
est, videtur, & cùm præsens est, non videtur, ait  
D. Ambros. in Luc. lib. I. Prosperitatis, me Chri-  
ste, argumentum evidentissimum hæc vox est:  
<sup>Præ. 2.</sup> Auxilium meum à Domino, qui creavit cælum &  
terram, ut nihil in terris tam difficile sit, quod  
eo adjutore evincere non liceat: nihil tam peri-  
culosum, cuius evitandi spem non concipiās eo  
duce & comite, qui cælum cœlestiaque bona in  
Iesu Christo tibi spondet & pollicetur.

Quare quòd longum ego ingressurus iter, via-  
ticum sumpsi, sacro sanctum corpus & sanguinem  
Christi, secundum ejus institutionem; meæ de-

B 2 mise-



misericordia D<sup>E</sup>I conceptæ fiduciæ confirmans, certique præsidij impenetrandi caussâ feci; & feci non imprudenter. nam ex effectu agnosco caussam, itinere nempe jam absoluto, divinam mihi opem præstó fuisse perspicio, gratiasque eo nomine divinæ majestati, quas possum, ago gratias.

In Polonia ergo ignotâ mihi regione, sed quam virtutis alumnam esse comperi, ea humanitatis & benevolentiae officia ultrò mihi exhibita sunt, quæ peregrinanti gratissima esse solent. Hospitalibus gens Polonica cunctis amica & benevolam eruditonem inesse novit, eos summo amore & honore complectitur: multa igitur gentis laudabilis beneficio contigerunt.

Sed divinæ dispositioni ego adscribo plurima, ille hominum corda sigillat: ille mentes ignotorum dicit, quo vult: ille planam peregrinanti sternit viam. Interim & nos hac usi sumus cautione; ut frons nobis esset aperta, mens clausa, lingua cauta.

Deinde cum in aula regiâ novissem, varij generis diversique ingenij homines esse, quorum palato non omnia placent, prudentiae munimine vel in primis opus esse videbam: honorem nemini su-

ni suum adimas oportet, si tuus tibi integer tri-  
bui debet: & quos verâ humilitate, officijs ac stu-  
dijs viceris, eos invenies tibi maximè benevolos.

Disputare de rebus arduis, & præsertim de re-  
ligione, cùm ejus confessionem edere usus non  
est, haud est peregrini, res suas prudenter admi-  
nistrare volentis: Sed potius temerè omnia mi-  
scensit; integra modò conscientia conservetur.  
Videris multa absurdâ, ut tua fert opinio; dis-  
simulanda sæpè est magna scientia, ne quod im-  
portunè fit, stulticia dicatur; viamque celerioris  
expeditionis præcludat, & exadversus odium &  
invidiam tibi concilies; qui gratiam & favorem  
expetis. Prudentis ergo est, suo modo & ordine  
cuncta disposuisse & egisse.

Regem ipsum sereniss. & potentiiss. SIGIS-  
M V N D V M tertium Poloniæ & Sveciæ Domi-  
num &c. adeò D E V S mihi clementem & beni-  
gnum; ut votis precibusque id multò ante con-  
tenderam; effecerat, ut, quod peterem, facilè impe-  
trarem, & signum benevolentia regiæ præterea  
aliud referrem, namque affatu facilis est, sermone  
comis, in promittendo quidem tardus; ut delibe-  
ratè cuncta fecisse videatur; at in promissis præ-  
standis constans & firmus, ut quod dictum, factum  
intelligatur. Bonam tunc mihi operam reveren-

B 3 diss.

diss. & illustriss. Dn. PETRVS TILISKI Vice-  
cancellarius, pietate, ingenio, sapientia, in rebus  
agendis præstantissimus, patronus & fautor meus,  
dignissimus, præstítit; adeo gratam, ut sæpe animo  
vota pro ejus salute & dignitate conceperim  
felicissima. Cætera vero disquirere in aula, hauri-  
erat satis promptum. Æsopus cuidam profi-  
ciscenti in aulam præceptum dedit; brevitate  
orationis res arguens maximas; *a mīsa nūdīsa*, hoc  
est, aut pauca apud magnos dominos dicenda es-  
se, aut quæ essent gratissima. Et cum Aristoteles  
suum discipulum & propinquum Callisthenem  
ad Regem Alexandrum mitteret, inter multa,  
quæ eum docuit, hoc præcipue imperavit, ut  
quam rariissime, aut jucundé admodum apud  
eum loqueretur, qui vitæ necisque potestatem  
in acie linguae haberet. Scribunt etiam, qui  
animalium naturam diligenter scrutati sunt, non  
nulla animalia ratione carentia salutem sibi alto  
silentio tueri, veluti anseres, qui præ nimio calore  
linquentes orientalem plagam occiduamque  
petentes, cum Taurum montem aquilis abundan-  
tem prætervolare ceperunt, timentes rapacissi-  
mas illas volucres, rostra lapillis obstruunt, ne  
consuetudinis aut necessitatis vis vocem eis eliciat,  
qua aquilis proditæ periclitentur: verum  
post-

postquam verticem montis illius collesque tali silentio evolarunt, calculos respuunt, & securiore nixu per alta cœli cum strepitu ac clarioribus vocibus feruntur. Sic politica planè cautio est, quæ quis in aula videt, ne dijudicet: & quæ audiret, intra septum cordis sui contineat: Gratam vero rem regibus ac principibus quis facit, si fide sincerâ & sedulitate accuratâ benè de ijs eorumque honore & jure defendendo, ad id vocatus studium, quantis ingenij viribus potest, benè mereri instituat. Sic tamen; ut aliorum censuræ plus quam suæ industriæ tribuat, nihilque sibi, nisi invito ab alijs quid adscribatur & quasi obtrudatur, adrogaret; nam ut quis unus præmineat, auli ci omnino ferre nequeunt: & invidia latè regnat in aulâ, quam quis prorsus, quantum unquam fieri potest, devitare deber. nam Poëtæ adserunt; pestem illam apud inferos serpentibus vesci, & hydris recreari; ut ostendant, invidos venenum deglutire, venenumque evomere.

Reliquam deinde itineris partem per Masoviam, Borussiam & Samogitiam in Livoniam & ad fines Muscoviaæ usque, felicibus itidem divinæ gratiæ auspicijs & regiâ promotione fratus, absolvi.

Masovij homines plerique insolentes & feri sunt,

sunt, qui facile ex levissima etjam caussa offendit  
possunt, igitur inter Polonos male audiunt: Sed  
dum byssinis uteremur <sup>hinc reprobatur</sup> verbis, nec cuiquam mo-  
lesti essemus, liber ab omni impedimento datus  
nobis est transitus. Vrbes in ea regione mura-  
tas & more Germanorum extructas, jam à Masu-  
ris inhabitatas vidimus multas; indeque non le-  
vi jacturā cognovimus, illas Germanico imperio  
aliquando paruisse; cùm Henrici & Ottones Im-  
peratores latè regnarent ad ultima Sarmatiæ loca-  
usque, & deinde magistri ordinis Teutonici in  
Borussia suis armis plerosque Sarmatas subjectos  
haberent. Peregrini jam imperij ratio quid ar-  
guit: quid demonstrat aliud: quām res huma-  
nas incerto modo agi; jam hunc, jam alium po-  
pulum habenas rerum tenere, prout Devs dispo-  
suerit, & justiciā ac fortitudine ista gens precel-  
luerit.

*Sic omnia verti*

*Cernimus, atq; alias adsumere robora gentes,  
Concidere alias.*

In Borussia agrum vidimus fertilem, adeoque  
fœcundum & omnis generis frugum feracem, ut  
quidem terræ paradysus esse videatur. Sed ea  
quoque regio florentissima cessit tandem impe-  
rio Polonico; & quæ pars divisa à Duce Borussia  
tenetur, jure feudi à rege Poloniæ velut superiori  
domino

domino recognoscitur. Imprudentia à J. C. tis  
culpæ ferè adnumeratur propterea, quod is, qui  
in re præsenti de futuris diligentem non suscipit  
cogitationem, reprehensione carere non videa-  
tur. Sed majores nostros defunctos frustâ cul-  
pamus, quia haud melius sapimus, intestinas item  
dissensiones, ex quibus omnis clades publica ve-  
nit, alentes. Quàm verò felix, quàm omnibus  
fortunæ bonis affluens status fuerit ordinis Teu-  
tonici in Borussia; satis dicendo explicare non  
possum. Sed quæ res eum evertit? quæ sors mu-  
tavit tot annis firmatum, tot opibus muni-  
tum supremum magistrorum ordinis Teutonici  
imperium: insolentia & discordia.

Fatale id est omnibus regnis, atque Rebus pub.  
nisi intra terminos prudentiæ, justiciæ, fortitu-  
dinis & temperantiæ fese homines, & præsertim  
gubernatores; (qui exemplo sæpè suo plus nocet  
quàm prosunt edictis) continéat, fieri non potest,  
quin sublato fundamento, hoc est, neglecta pie-  
tate, virtute ac justiciâ, si frena cupiditatibus la-  
xentur, ipsa tandem Resp. pessum eat. Vtinam  
hi casus factæ translationis imperij in fini-  
bus Germaniæ moverent animos Germanorum,  
ut ab ijs vitijs abstinerent, quæ antiquos olim do-  
minos expuerunt & ejecerunt, prudenter me-

C dius

dius fidius tam sibi quam suæ Reipub. consulerent, nam satis exemplorum in nostra gente habemus, quanto opere omnibus temporibus superbia dominantium: inobedientia subditorum; & corrupta vita passim omnium regnis & imperijs nocuerit; ut, nos alijs exemplo esse, haud necessè sit, qui tamen hæc vitia non excludimus, sed admittimus: non damnamus, sed exemplo approbamus. O quantum malum mens providet! O pravæ rei nunquam felix exitus! Quid externas gentes attrahit in Germaniam? intestina illa in omnibus ferè urbibus frequens & abominanda dissensio: insolentia nobilium erga miseros rusticos: iniquitas exactiorum nimis sæpè reiterata, ne dicam de alijs publicis malis, quæ nos movent & adeò exercent, ut lachrymis summisque gemitibus, nedum dicendo illa explicare nequeamus, Sed quem movent illa humanæ miseriæ specula: quis cautor & prudentior exinde fieri cupit? Sunt tamen, quibus hæc res curæ est, & quantum possunt consilio, & precibus, malis repugnant imminentibus.

Vidimus in Borussia arces reparari & muris cæterisque munitionibus refici, cauté. nam qui tempore pacis de bello & vario rerum discrimine, quod incidere posset, cogitat, ille tutum suum tenet

tenet dominatum, ne à potentiori hoste opinio-  
ne celerius opprimatur,

Veræ deinde, & orthodoxæ religionis cultus  
in Ducatu Borussiæ viget; quotidiè preces votaq;  
publica concipiuntur ad D E V M , ut Ecclesiam  
suam servet, & eos Dominos gubernet, ac suo  
præsidio tueatur, qui & majestate imperij tran-  
quillitatem Reipublicæ ab exteris hostibus  
defendunt, & qui pro quiete publica excubias  
consulendo & tractando agunt, prudenterque oc-  
culta mala declinant & amovent. Hæc certe  
pulcherrima est illa cathena rerum humanarum,  
hæc salutis & tranquillitatis publicæ subducta ra-  
tio, si consensione animorum & veræ pietatis stu-  
dio & principes recte imperare velint, & subditi  
justo imperio parere non detrefent.

Venio jam ad Livoniæ patriam meam sua-  
vissimam, quæ nescio quâ dulcedine me du-  
cit & immemorem non sinit esse sui. Si qua  
in mundo est regio, quæ fertilitate agrorum, &  
omnium rerum ad vitæ humanæ cultum perti-  
nentium abundantia præstet, certe & Livonia  
est. Sed tot malis, tot calamitatibus, tot bellis &  
devastationibus multis abhinc temporibus  
pressa & exhausta est, ut vix pristinam sui  
faciem etiamnum referat. O mea patria dul-  
cissi-

cissima ! quamobrem tanta te manserunt  
mala , quæ olim fuisti florentissima , poten-  
tissima & opulentissima ? jam in cinere multos  
annos jacuisti , tuos indigenas , velut à vento dis-  
sipatos vides exules ; tot interim divisa imperijs:  
tories ab impotenti dominatu indignantium af-  
flicta , & omnibus tandem viribus & facultati-  
bus exinanita . Nullum , calamitate suarē respondet  
Livonia , numen felicitatis perpetuae abfuis-  
set , si prudentia indigenis , alijsque , quibus in  
me D E V S imperium dederat , fuisset . Sed cūm  
sanctitas , pietas , fides , ne quidem privata bona  
essent , tantum abfuit , ut magistratus ea colerent ,  
& veræ religionis cultus contemptui haberetur ,  
quæ tamen bona meæ Reipub. constituendæ &  
continendæ fundamenta erant ; quid mirum ,  
quòd contrarijs vitijs , impietate , iniquitate , in-  
juriā , blasphemīā & idololatriā in me dominan-  
tibus , ego conturbata & penè tota eversa fuerim .  
O querela nimis vera ! O mala publica quantum  
& mihi & cæteris meis popularibus nocuerunt  
plurimum ! qui sedibus patrijs exuti , peregrini ,  
miseri , exules , multis jam annis fuimus , etjani  
sub imperio Polonorum , proh dolor ! Nescio ,  
planè nescio , sive genius istius provinciæ , sive  
alia quædam caussa obstiterit , quòd quantumvis  
extre-

extrema necessitas & publica salus omnium id  
exposceret, certis tamen legibus, judicijs, insti-  
tutis Respub. Livonica hactenus comprehendendi  
& constitui ritè non potuerit, occultæ sunt & in-  
comprehensibiles viæ Domini, & abscondita  
judicia quæ sui demùm effectu apparent. Vete-  
ra enim illa vitia, quæ habitatores terræ dissipar-  
rant, nondum in illa gente adhuc cessarunt o-  
mnia. Itaque cùm in voluptatis regno virtuti lo-  
cus non sit, differri oportuit tempus optatissi-  
mum publici boni constituendi, usque dum ha-  
bitatores veras mali publici caussas agnoscerent,  
easque aboleri finerent. Postquam verò rex se-  
renissimus & laudatissimus SIGISMUNDVS ter-  
tius; cui DEVS opt. max. quanta animo conci-  
pio, tribuat munera largissima; Ordines item re-  
gni Poloniæ & magni Ducatus Lithvaniæ secum  
prudenter statuerent, in eamque pedibus irent o-  
mnes sententiam; nec imperium diuturnum, nec  
tranquillitatem securam in Livonia fore, nisi certa  
Reipub. forma constitutis judicijs promulga-  
tisque legibus introduceretur, & idcirco præstan-  
tissimæ isti rei summo studio incumbendum cen-  
serent, atque in rem præsentem viros selectissi-  
mos & prudentissimos mitterent; Livonia jam  
penè mortua reviviscere: & propè jam projecta  
& proculata revirescere cepit.

Hanc

Hanc rem omni<sup>i</sup> apud posteros commendati-  
ne dignissimam non parum juvit heros ille in-  
comparabilis, illustrissimus Dn. IOANNES SA-  
MOIS CIVS magnus regni Cancellarius & gene-  
ralis exercituum Dux, cuius ego laudes sapien-  
tiæ & fortitudinis retinere satius duco, quām eas  
non plenē enarrasse. etenim virum Musis gra-  
tiosque dicatum illæ ipsæ perpetuâ æternitatis lau-  
de celebrabunt. En prudens sapientissimi Re-  
gis consilium! en Senatus regni Magnique Du-  
catus Lithuaniae instituta quām pulchra! quām  
utilia, quām meritò collaudanda! primum ni-  
hil existimarunt certò perpetuōque ante consti-  
tui ordinariisque posse, quām quæ distinctæ mo-  
ribus, legibus, institutis, gentes essent, in unum  
quasi corpus jure fraternitatis coalescerent, ut uni  
capiti rectiū parere diseerent omnes. Deinde,  
ut quæ tempore belli, ceu calamitatis divinitus  
immissæ, invicem illatæ erant, vel inciderant in-  
juriæ & offendiones, per sanctam amnistiam tol-  
erentur omnes, ne in gente fraternitatis jure  
unitâ ulla vel perfidiæ nota vel dissensionis seu li-  
tis materia superesset.

Atque cùm dominia rerum in incerto esse, &  
molestem pariter & Reipub perniciosum vide-  
retur, diligens inquisitio de singulorum jure fa-  
cta est,

10  
Et a est, ut justiciæ & veritatis ratio; quæ in primis  
res humanas continet & gubernat, rite consta-  
re posset.

His ita præmissis, officia deinde dignatum &  
judiciorum, delectu personarū ante habitu quibus  
ea committerentur, distributā sunt. & quidem  
omnes res ad eam normam gubernationis ordi-  
natæ & directæ sunt, quam salutarem esse & Po-  
loni & Lithvani multis jām seculis, florenti suā  
Repub. cognoverunt.

Qui hæc augusta & præclara esse Reip. reflo-  
rescentis munia neget, puto fore neminem. Itaq;  
qui hujus rei præclarissimæ auctores, suasores &  
effectores fuere, eorum nomina silentio præteri-  
re haud æquum puto. Princeps legationis fuit  
Reverendiss. & illustriss. Dn. IOANNES DE-  
METRIUS SOLICOVIVS Archiepiscopus Leo-  
poliensis; qui tertium à rege locum in comitijs  
obtinet, ejus in Germania nomen celebre est.  
multas siquidem legationes nomine suæ Regiæ  
M<sup>tis</sup>. & Reipub. obivit; multas res gravissimas  
& difficillimas tractavit; multas controversias  
inter magnos reges ac principes suā eloquentiā,  
sapientiā & virtute sòpivit: ille transaktionem  
inter Reges Daniæ & Svetiæ desideratæ diu pacis  
Stetini unā cum alijs composuit; ille Divo Ste-  
phano

phanō regi comes ad Plescoviam fidelis fuit: pa-  
cisque item cum Moscho facienda auctor sua-  
torque fuit: ille ergo, qui tot virtutum rerumque  
gestarum laude esset præclarus, dignus visus est,  
cui hæc quantumvis molestissima provincia or-  
dinandæ Reipub. Livonicæ in affecta propè sene-  
cta sua committeretur. & quidem, quam de se  
conceperant spem & expectationem homines, il-  
le ita complevit, ut omnium in se oculos summa-  
cum admiratione converterit, votisque omnium  
ex æquo satisficerit. Vidimus hunc illustrissi-  
mum Dominum & eo familiariter usi sumus, fa-  
cilem aditu; suavem vultu: elegantem moribus,  
facundum sermone, & benignum in factis reco-  
gnovimus; qui eā doctrinā & historiarum cogni-  
tione pollet, ut ab ejus sermone semper doctior  
discresserim, & multa alia privatim ab eo mihi  
sunt collata beneficia, studia & officia, quæ me-  
memori sæpè adhuc mente recolo: testorque hac  
publica voce, magis idoneum virum ad tantam  
rem efficiendam nec mitti, nec inveniri potuisse.

Huic qui adjunctus fuit princeps alter lega-  
tionis, magnanimus & fortitudinis laude insignis  
**LEO SAPIEHA**, magnus Lithvaniæ Cancella-  
rius fuit: qui suâ auctoritate sic cuncta moder-  
atus est, ut cùm & qui justique amantissimus esset,  
in sen-

in sententiam Collegæ sui dignissimi omnino  
conspirarit, ut legibus firmata, tuta & tranquilla  
esset Respub. Livoniæ : ille jus dixit diligenter: il-  
le leges, quas usu & prudentiâ civili, quâ inpri-  
mis pollet, utilissimas cognovit; dictavit & con-  
scriptis princeps & senator regni meritis in Rem-  
pub. præclarissimus.

Quid dicam de PETRO OSTROVIO: quem  
nuncij terrestres ex suo numero deputarunt lega-  
tum? certè ut ex multis unus erat electus; sic mul-  
tis eum ingenij dotibus ac virtutibus præstan-  
tem vidi, cognovi, comperi. ingenio & judicio  
admodum subtili ac acri est, ut ex tempore de re-  
bus magnis differere possit, verasque earum cau-  
sas demonstrare. Hunc ille fructum studiorum,  
quæ in Italia, Gallia, & Germania excoluit, uber-  
imum retulit, ut & aptè dicere, & rectè judicare  
possit, amantissimus justiciæ & libertatis publi-  
cæ. Adeò sineceræ fidei & laudabilis candoris ho-  
mo, ut quod se facturum vel nutu recepisset, non  
mutaret, sed quantum in se esset, præstaret & per-  
ficeret; nihil interim iuvidiæ vanique aliorum  
adij tela moratus. Omnes ergo bonos in sui a-  
morem pellexit, omnium in ore fuit PETRVS  
OSTROVIUS

Qui præterea hisce adjuncti Collegæ & velut

D

Con-

Consiliarij ac publici negotij adjutores & promotores, Dn. MATTHIAS LENIKE Castellanus Derpatensis: Dn. GEORGIVS SCHENKING Castellanus Vendensis: Dn. BARTRAMVS HOLTSCVR Succamerarius Vendensis: Dn. IOANNES WILSECK & Dn. PILGRIMOWSKI, eorum omnium proprias laudes retulisse non putto hujus esse loci nec temporis, nec dies haec nedum hora sufficeret, si ex dignitate cuncta referre vellemus.

Collega hisce præstantissimis viris, mandato S. Reg. Mtis. & totius Reipub. adjunctus fuit Generoflus & nobilis vir DAVID HILCHEN Secretarius Reg. Mtis., notarius item terrestris Vendensis & Syndicus Rigenensis, cuius sanè laudes reticere non possum, tot ille labores, tot curas & difficultates jam multis annis & in actu commissione in primis sustinuit, nulli cedens molestiæ, nullam moratus persecutionem invidorum hominum, ut patria sua charissima, Livonia, summum quod est quietis publicæ bonum, auctoritatem & judiciorum vigorem consequi tandem posset, vir merito laudandus, patriæ qui se toium consecravit. Notarium terrestrem Serenils. Rex eum fecit, ut acta & actitata judicij exciperet, excepta penes se haberet, deinde consilio & juris

sug-

suggestione veluti laudatissimus adfessor judicem  
informaret, omnemque controversiam ad æqui-  
tatis & justiciæ normam revocaret & dirigeret.  
Sincerus igitur erga patriam, quem habuit semper  
habetque, amor, & publicæ salutis ac tranquillita-  
tis cura eum movit & impulit, ut nulli labori, nul-  
lisque sumptibus parceret, quin, quod ē Repub.  
esse videret; & ageret sedulò & promoveret fide-  
liter. ille collegis suis semper præstò fuit; ille con-  
silia suggessit honestissima; ille summâ, quæ in eo  
est, ingenij solertiâ & fidelitate desiderabilem  
suam fecit esse omnibus operam. Sed cùm res  
ipsa ejus laudes loquatur, parciùs eas verbis ego  
attingam, ne hac tenui meâ oratione obscurare  
magis quam illustrare eas videar. Id tamen non  
possum non commendare, quod cùm felicitatis  
publicæ rationem aliam, quam in legibus certis  
judicijsque ritè constitutis non esse intelligerer,  
nec rei difficultas eum moverit, nec multitudo  
negociorum, quibus ferè quotidiè obruitur, abdu-  
xerit; nec denique invidiæ stimuli, quibus inno-  
cens s̄x numero petitur, eum impedierint, quin  
rem pulchram, utilem sed operosam, dignam ta-  
men omni posteritatis memoriâ, susciperet; &  
jus Livonicum brevi, succinctâ & eleganti me-  
thodo conscriberet, sic satis plenè, ut qui tres illos

libros juris Livonici ab ipso conscriptos recte dicerit, plenam juris cognitionem sibi compare posse videatur. Dignus ille vir, cui longam vitam & perpetuam felicitatem comprecedemur omnes.

Sic ergo vidi coram, quibus artibus & praefidijs patria mea Livonia vires pristinæ dignitatis redintegrandæ recipere possit, Sic vidi, quæ prudentiæ civilis sint momenta, & quantis artibus viribusque ingenij præditum esse oporteat illum, utilem qui se patriæ civem futurum sperat. *Felix futura est Livonia*, namque si iniquitati hominum vigore judiciorum obvietur; si effrenis insolentia legum præceptis & pœnis coercentur: Si magistratui sua auctoritas sarta recta conservetur: ambigendum planè non est, quin felix prospere status Reipub. subsequatur. Merito ergo Serenissimi Regis ac prudentissimi Senatus regni consilium prudens & salutare etiam hac publicâ voce commendamus, &, quod sic recte animum induixerint suum, *Rempub fide rectius quam armis stare posse*. Posteri votis animisque hæc bona Reipub. augustissima celebrabunt gratius etiamnum & uberiorius, quibus plenè ijs frui continget.

Vosau-

Vos, Auditores, quantumvis hæc res non tangit, tamen exemplo admoneri potestis, quæ evertendæ quævè recuperandæ Reipub. caussæ propinquæ sint, ut alienis malis edocti prudenter vestræ patriæ mala præcaveatis, & bona Reipub. jucundissima quæ sint intelligentes, ijs omnino utendum censeatis; ut in primis divinæ majestatis vim agnoscatis in rebus humanis: & ipsi etiam prudenter agatis, ne, quæ alios manserunt, vos quoque aliquando mala inveniant.

Alterum nunc prudentiæ munus sequitur dispiendum quod consistit in eo, ut tempori serviamus. Tempus est optimus & prudentissimus consiliarius, ut sæpe numero ex re præsenti veluti sub manu natum consilium capere necesse sit. Omni enim negocio suum tempus est, suaque oportunitas; sed enim rerum qualitate consideratâ nostri consilij rationes moderemur. Sanè qui ex omnibus partibus conflagranti domui auxilium ferre volet, nisi vanam operam insumere velit, invitatus ut abstineat, ne malum malo & periculo suo augeat, necesse est: Sic planè usu comparatum est in Republica, ut qui desperatis rebus & fatali necessitate conturbatis opem & suppetias ferre volet, non solum ludi-

D 3

brio

brio habeatur, sed majores etiam turbas dare soleat. quare temporis quidem diligens ratio habenda est, ut quemadmodum bonus gubernator navis se ventorum mutationibus: sic vir sapiens fortunæ sese accommodet. nam plurimum auxilij fert tempus ijs, qui prudenter occasionem captant: idemque tempus est infestissimum ijs, qui importunâ festinatione utuntur. sed tamen rem totam æstimari oportet, è providentiæ divinæ dispositione, si in negotijs humanis labi errare, & hallucinari nolimus. Cæterum ut propositum constantiæ & fidei pro varietate temporis mutemus, id nemo sapiens docuerit, estque hoc à virtutis laude, quæ semper sui similis est, planè alienum; tempore nempe illa mutare velle, quæ sui naturâ sunt perpetua & immutabilia.

Iam ergo succedit, ut de patientia quædam attingamus. nemo planè adeò prudens, adeoq; rerum omnium intelligens est, qui eo modo & ordine cuncta disponere possit, ne qua sibi unquam accidant adversa. quare si quæ accidunt minus grata, ea nos à quo pati animo consentaneum est. quippe arbitrio divino res omnes gubernari constat, cui nos accommodare oportet, ne, quod durum esse dicitur, contra stimulum calcic-

calcitrare videamur, & gygantæ more bellum  
D E O indicere. nulla siquidem nobis optio vi-  
vendi nostro arbitrio proposita est. sed necesse  
omnino habemus, omnia tolerare, quæ de nobis  
fortuna seu D E V S statuerit. Quod si hoc no-  
strâ sponte fecerimus, dolore vacabimus: sin no-  
luerimus, neque ea, quæ fatum nobis destinavit,  
effugiemus: & immanes præterea in dolores,  
sumimum illud malum, incidemus. Providen-  
dum sanè est rebus, quibus præsumus, quasve  
agimus, quantum unquam licet: si autem præ-  
ter opinionem, ut solent plurima, acciderint,  
non irascamur D E O, qui omnia rectius novit  
disponere, quam nos intelligimus eadem pro-  
ponere. irascamur nostræ imprudentiæ, qui ad  
honorem D E I & proximi utilitatem non omnia  
revocamus, & verâ cordis devotione ac precibus  
D E I unius arbitrio rem omnem, vitam, decus,  
non commendamus: Sed nostrâ virtute, nostrâ  
sapientiâ, nostrâ præfidentiâ cuncta effici posse  
existimamus; nosque eo ipso Deos, admiratione  
propriæ virtutis facimus.

Non ergo indignemur, si idololatriæ justas  
luamus pœnas: & quæ veræ prudentiæ ratio sit,  
tandem cogamur per patientiam animadverte-  
re, eamq;

re, eamque discere, quæ sapientia comes est: quæ pacem conciliat; mentem feliciter gubernat: & misericordiam apud D E V M invenit: omniq[ue] robore præstantior est.

Hæc ergo pulcherrima prudentia & patientia munia, laude cæterarum virtutum commenda, nobis, adolescentes ingenui, hoc tempore, quo discere licet, exemplis, sensu, inductione & historijs, comparemus, ut simus prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbae; ne occasione bona discendi neglecta & in negocijs aberremus, & frustra deinde animo mœreamus. Cæterum, qui serpentis prudentiam circa malum, columbinæ simplicitati circa bonum miscuerit, is neque ex prudentia malignitatem, neque ex simplicitate stulticiam fieri permitteret.

Hic jàm vos Philosophiaæ studiosos compello, quæ vestri studij est ratio! quæ animi inducitio alia! quam ut rectè beatèque vitam agatis tranquillam, externa vos non moveant: caduca non adficiant: affectus non incitent: Ardua sanè rei magna est professio; & tamen vos non mini vestro satisfacere oportet, ne inani titulo gaudere videamini.

Quare ut finem dicendi faciam, id vos moneo, id rogo & hortor, prudentiaæ civilis doctrinam

102

nam, qua varijs tum præceptis tum exemplis vobis proponitur, discite; & sic discite, ut rem benè cognitam usu & actione exprimatis: mala & discrimina rerum exinde prudēter caveatis. Sin verò nihilominus mala adversa, multūm & contrastantia inciderint, externam vim fortunæ esse existimetis, quæ proprias vobis & internas virtutes, fidem & constantiam: admirere non possit, ideo patienter cuncta fert, fiduciâ & spe misericordiæ divinæ & melioris fortunæ mox subsecuturæ suffulti.

Hanc ut vobis mentem ter opt. max. Iehova  
virtute Spiritus sancti sui per I E S U M C H R I-  
S T V M donet & benignè largiatur; ut verbo D E I  
attendatis, ut præceptis virtutum animum in-  
struatis; ut præclara facta edatis, quibus pos-  
sum, animi devoti suspirijs & gemi-  
tibus opto & precor,

D I X I.



e

AD

EGO TANDEM QUITA  
EGO TANDEM QUITA

AD NOBILISSIMVM

Et Consultissimum virum,

Dn. CHRISTOPHORVM STVR-  
CIVM. I. V. D. & historiarum Pro-  
fessorem P. amicum &  
collegam.

ET Sapere atq; Pati, humanae duo numina vita  
Qui docet; hunc fas est Et sapere atq; pati  
Quid sit, nosse. tuum, STVRGI, Sapientia pectus  
Incolit, e varijs artibus orta tibi.

Pura tibi Eusebie pietatem: Suada loquela:  
Historiam Cleo, jus dedit Eunomie.

Præterea invictum tibi cor Patientia finxit,  
Sensors leva tonet, si ve secunda fluat.

Vah, quoties Boreas, Austerq; ac horriser Eurus  
Invasere suis flatibus ora tibi!

Rodere non — nocuos, scelerata calumnia, docta,  
Te quoties rofit, rodere adhuc properat!

At tu fers contra hac fidentia pectora monstra:  
Quidq; sit, Ipse tenes, Et Sapere atq; Pati.

In partemq; vocas illam clarissima mundi

Lumina, SOLCOVIVM, SAPIEHAM Et  
OSTROVIVM,

Atq;

Atq; HILCHEN, virtute virum super atherā no-  
Et per quos LIVIS jus venit atq; Themis. (tum:  
Hos cum tu faceres resonare hēc pulpita Varni,  
Latari tantis sunt mihi visa viris.  
Tumq; Ego; Felices, dixi; quibus obtigit istis  
Virtutum p̄aco S T V R C I V S esse modis.  
Non vos ulla dies venturo hoc eximet & vo:  
Id meruit Iūritus, id meruit Pietas.  
Per vos Eunomies, morumq; & Religionis  
Sunt firmata LIVIS jura, statuta, fides.  
Outinam in venas mihi doctus Apollo veniret,  
Aut qualis genius, magne Melisse, tuus!  
Vestra ego longevis & facta heroica cedris  
Incederem, nullos facta aditura rogos.  
Dicerem: & insererem sublimi splendida thyrso  
Carmina: vosq; homines consociasse Deūm  
Cætu, nostra foret vis, & labor atq; voluptas:  
Tam latè laudum gloria vestra patet!  
Nunc, quia mītantas non Musa in carmina vires  
Suppeditant; tant& nec mihi divitiae:  
S T V R C I V S hoc fecit: facietq; superstite fama  
Vestra ut transcribat splendida facta polo,

Joannes Simonius Rhetorices  
in Acad. Rostoch. Pro-  
fessor pub.











Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn1679454749/phys\\_0043](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1679454749/phys_0043)





D

E

Q

Pu


Pr

V

R

J

I



OBILISSIMVM  
consultiſſimum virum,  
STOPHORVM STVR-  
v d. & historiarum Pro-  
forem P. amicum &  
collegam.

Atq; Pati, humanae duo numina vita  
et; hunc fas est  $\wp$  sapere atq; pati  
tuum, STVRGI, Sapientia pectoris  
arijs artibus orta tibi.  
bie pietatem: Suada loquela:  $\wp$   
Cleio, jus dedit Eunomie.  
Etum tibi cor Patientia finxit,  
va tonet, siue secunda fluat.  
Boreas, Austerq; ac horriser Eurus  
luis flatibus ora tibi!

- nocuos, scelerata calunnia, docta,  
rosit, rodere adhuc properat!  
contra hac fidentia pectora monstra:  
sit, Ipse tenes,  $\wp$  Sapere atq; Pati.  
vocab illam clarissima mundi

, SOLCOVIVM, SAPIEHAM  $\wp$   
OSTROVIVM,

Atq;

